



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Speculum Approbandorum Bipartitum**

**Unczovsky, Marianus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1693**

Quæstio I. In qua de Qualitatibus in Confessario requisitis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37308**

QUÆSTIO PRIMA,

In qua

De Qualitatibus in Confessario requisitis.

VICARIUS.

Recenseantur qualitates in Confessario requisitæ.

SACERDOS.

**P**ræcipuas qualitates in Confessario requisitas adverte esse Jurisdictionem junctam approbationi, scientiam, Usus Scientiæ prudentem, seu Prudentiam.

Vicar. Nil aliud?

Sac. Dixi me præcipuas qualitate recensere, non enim ignoro, quòd præ-

A ter



ter relata ex parte Ministri Sacramen-  
 ti Pœnitentiæ requirantur etiam si-  
 quentia: nempe potestas Ordinis, se-  
 Ordo Sacerdotalis cum alijs sex Ord-  
 nibus; item potestas executionis, se-  
 usus Jurisdictionis non impeditus, se-  
 ve per impotentiam naturalem, qua-  
 lis esset v. g. *esse mutum &c.*: sive per im-  
 pedimentum Canon, quale esset: *irre-  
 gularitas, censura, preceptum, aut pro-  
 hibitio Superioris*; item Bonitas, item  
 sigillum, item attentio ad confatentem,  
 demùm prolatio formæ.

*Vicar.* Hæccinè omnia sunt requisita  
 ad validè ministrandum Pœnitentiæ  
 Sacramentum?

*Sac.* Minimè; fractionem namq; sigilli  
 consequentem, validitati Sacramenti  
 non præjudicare cognosco, neque Boni-  
 nitatem ad valorem esse necessariam  
 dico, utpotè qui scio tam validè ab-  
 solvere malum, ac bonum Ministrum,  
 quanquam advertam maximè necessa-  
 riam hanc bonitatem in Ministro, ex-  
 igen-



igentem purgationem ab omni peccato lethali per Confessionem Sacramentalem, vel per contritionem perfectam, aut certè per attritionem, quàm bonâ fide putaverit contritionem.

*Vicar.* Desipiatur Jurisdictio Confessario necessaria.

*Sac.* Hæc Jurisdictio est *quadam potestas super certas personas* in ordine ad judicandum illas, sistentes se ad *Tribunal Penitentia, seu in foro Penitentiali.*

*Vicar.* Quale hoc forum?

*Sac.* Est *forum Poli, Sacramentale seu Conscientia.*

*Vicar.* Quæ diversitas inter *forum externum, & Conscientia seu internum?*

*Sac.* Maxima; in *foro* enim *externo* sive *Civili*, sive *Ecclesiastico* judicant homines tanquam homines, atque adeò auctoritate humanâ, ast in *foro Conscientia* judicat quidem homo, non tanquam homo, sed tanquam representans DEUM, atq; adeò interponitur auctoritas Divina, quâ remittuntur



tur peccata, ita ut DEUS sit qui delicta remittit, & Sacerdos Ministerium exercens.

*Vicar.* Ergo forum Penitentiale non sequitur naturam fori contentiosi?

*Sac.* Nequaquam; imò lego forum Poli, & forum fori differre sicut Cœlum à terra, hoc ipse modus procedendi diversus confirmat.

*Vicar.* Quis modus?

*Sac.* Scio forum externum sequi præsumptiones, & ijs initi in ferendo sententiam, atq; forum Conscientie inhæret puræ veritati; estq; Tribunal veritatis & æquitatis, imò est idem ac Tribunal & iudicium Divinum.

*Vicar.* Quomodo?

*Sac.* Quia Tribunal Vicarij non videtur diversificari à Tribunali illius, cuius est quispiam Vicarius; constat autem ex verbis *Sac. Concil. Trid.* CHRISTUM è terra ascensurum ad Cœlum Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquisse, tanquam Præsides & Iudices, ad quos  
om-



omnia mortalia crimina deferantur.

*Vicar.* Igitur præsumptiones non habent locum in foro *Conscientia*?

*Sac.* Nec Leges, quæ fundantur in præsumptione, in foro enim *Conscientia*, quia Confessio est voluntaria, statim ipsi & quod profert Pœnitens, habetur pro verò, ipsiq; creditur, non secus, ac si esset notorium; ex quo ulterius adverte Jurisdictionem, quam exercet *Sac. Confessionis Minister*, esse voluntariam, id est eam, quæ sinè contradictione exercetur.

*Vicar.* In hoc foro exercenda Jurisdictio est quidem definita, sed videtur supervacaneè peti à Sacerdote ordinato, siquidem in Ordinatione sua accepit potestatem absolvendi à peccatis?

*Sac.* Accepit, sed Jus dicere, aut judicare non potest, nisi ei committantur subditi, in quos ferat sententiam, quorum commissio spectat ad Ecclesiam, & ab ipsa derivatur ad certos Ministros, unde potestas clavium in Sacerdote



ordinato manet suspensa, donec per Ecclesiam, deducatur ad actum; vel brevius dico: conferri Sacerdoti per characterem Ordinis Jurisdictionem habitualement, quæ est à Jure Divino, actualement autem dari ab Ecclesia.

*Vicar.* Quotplex est Jurisdictio?

*Sac.* Duplex Ordinaria, & Delegata.

*Vicar.* Quæ sunt illa, quæ dant Jurisdictionem Ordinariam?

*Sac.* Quatuor: Lex, Papa, Consuetudo, & Communitas approbata.

*Vicar.* Delegatam?

*Sac.* Delegata acquiritur per Jus, vel commissionem ab eo, qui habet Ordinariam.

*Vicar.* Quibus competit Jurisdictio Ordinaria ad nostrum propositum.

*Sac.* Pastoribus habentibus curam animarum; sic Papa habet Jurisdictionem Ordinariam supra universum Gregem Dominicum; Episcopus supra degentes in sua Diœcesi; Curatus supra animas illas, quæ in Parochia sua commorantur.

*Vic.*



*Vicar.* Et quibus *Delegata*?

*Sac.* Sacerdotibus non habentibus curam animarum, excipientibus Confessiones ex permissione, & delegatione Pastorum.

*Vicar.* Jurisdictio Ecclesiastica extenditne se etiam ad infideles?

*Sac.* Non, quia nulla Jurisdictio se extendit ad non subditos, utpotè qui soli claudunt terminos & sphaeram adæquatam cujuscunq; Jurisdictionis & potestatis, sic autem est, quòd infideles non sint subditi Ecclesiae, juxta illud: *quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, judicare?*

*Vicar.* Quid datur intelligi per Approbationem requisitam à Concilio?

*Sac.* Authentica declaratio de capacitate Confessarij ad ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ.

*Vicar.* Observâtine ea quæ sunt posita in Decreto *Urbani VIII.* factò Anno 1628.

*Sac.* Observavi quòd in eodem revo-



centur omnia Privilegia audiendi Confessiones sine approbatione Episcopi Diocesani; adverte autem nomine Episcopi cui competit jus approbandi non tantum intelligi ipsum Episcopum Diocesenum, sed etiam eius spiritualibus Vicarium Generalem, item Nuntium Apostolicum in Circulo suae Nunciaturæ &c.

*Vicar.* Ergo universaliter omnes indigent approbatione Episcopi ad audiendas Confessiones, etiamsi promoti sint in Doctores Theologiæ aut Juris Canonici?

*Sac. Sac. Concil. Trid.* nullum excipit: congruum tamen existimant. Canonistæ, ut talibus Viris utpotè quorum doctrina nota est per publicum Universitatis in qua promoti sunt testimonium, detur approbatio sine prævio Examine; accedit, quod cum præsentati ab Universitate ad Beneficium Ecclesiasticum non debeant examinari ab



di Co ab Episcopo, multo minùs promoti in  
pisco Universitate ad Doctoratum Theolo-  
mine giæ vel Juris Canonici; cum hoc ta-  
bandi men relinquatur Examen prudenti ar-  
Episco bitrio Episcopi: Quantum ad Regula-  
eius res graduatos quid dicendum sit con-  
em, stabit legenti Bullam Gregorij XIII.  
Nun quæ incip. *In tanta negotiorum mole;* ad-  
Nun erto item quod nequeat Episcopus  
cogere ad Examen illos, qui sinè Exa-  
indi mine fuerunt approbati ad audiendas  
d au Confessiones, quando approbatio fuit  
omo. absoluta & illimitata quoad tempus,  
Juris nec adest nova, justa & rationabilis  
causa iterum examinandi seu appro-  
ipit: bandi; an autem approbandus alio-  
oni- quin idoneus attamen absq; justa cau-  
rum sa malevolè ab Episcopo repulsus, ma-  
Uni- neat approbatus ab ipso Papa vel ipso  
mo- jure? subscribo negantibus; Quare ta-  
vio- lis appellare poterit ad Archi-Episcopũ  
en- Metropolit: vel ad Sac. Congreg. &  
Ec- causæ expeditionem expectare, uti  
nari pluries in facti contingentia visum est  
ab practicari. A s Vic.



*Vicar.* Quid incurrit ille, qui absq; Jurisdictione, aut Approbatione se ingerit ad audiendas Confessiones?

*Sac.* Gravissimum peccatum, utpotest causa tanti detrimenti animæ, illa enim Confessio nullius est momenti.

*Vicar.* Quare?

*Sac.* Ob defectum potestatis jurisdictionis, essentialiter ex parte Sacerdotis requisitæ, similiter ob carentiam Approbationis, sinè qua, tanquam fundamento, præcipiente Concilio Sacerdos Sacramentum Pœnitentiæ ministrare nullatenus potest.

*Vicar.* Ponamus casum, quòd aliquis bonâ fide confiteretur Sacerdoti non habenti Jurisdictionem?

*Sac.* Inhærendo doctrinæ Sac. Concilii

*Trid.* bona fides non suffragaretur ad valorem; adverte tamen, quòd si cum bona fide Pœnitentis esset error communis, quatenus videlicet populus crederet, & omninò haberet talem legitimum Confessario, & insuper inter-



tercederet præsumptio de Titulo, eò quòd talis ab Ordinario admissus fuerit ad Confessiones audiendas, licet ob aliquod occultum impedimentum Jurisdictionis fuerit incapax, aut sit habens occultè revocatam Jurisdictionem, adverte inquam, quòd in tali casu erroris, ad evitanda gravia damna, quæ paterentur animæ Pœnitentium, Ecclesia suppleret defectum, & error communis cum bona fide Pœnitentis darent Jurisdictionem; similiter sentio si quispiam bonâ fide confiteretur Sacerdoti nunc non approbato, licet aliquando approbatus fuerit, dummodò communiter pro approbato teneatur.

*Vicar.* Nunquid semel approbatus, semper approbatus?

*Sac.* Hoc est, quod assumunt aliqui; ego autem intelligo de approbato in eadem Diœcesi, insuper quod in Approbatione sive in scriptis habita, sive aliter, non intercedat limitatio ad cer-



tum tempus; cum hoc tamen adverto  
quod Religiosus approbatus in uno E  
piscopatu, si alium petat, & postea re  
deat ad eundem, à quo exivit, Appro  
batione novâ non indigeat, poterit ni  
hilominus ab Episcopo Successore, de  
novo examinari juxta *Bull. Pij V.* qua  
incip. *Romani Pontificis*; & declarat  
*Sac. Cong.* (si necessarium esse vide  
bitur)

*Vicar.* Quid si aliquis Curatorum ex  
poneret publicè Sacerdotem non ap  
probatum ab Episcopo, ad absolven  
dum suos Parochianos, censeretur  
valida ejus absolutio?

*Sac.* Non desunt Theologi stantes pro  
valore, qui docent bonam fidem & er  
rorem comunem dare Jurisdictionem.

*Vicar.* Nonne Congregatio *Sac. Concil.  
Trid.* perhibet talem absolutionem per  
non approbatum esse nullam?

*Sac.* Hoc ipsum legi, sed judico me non  
erraturum, si dixerò, bonam fidem cum  
errore communi, quo Sacerdos pro le  
giti-



gitimo teneretur Confessario, ponere  
valorem.

*Vicar.* Sunt nē assignabiles aliqui casus,  
in quibus absq; expressa Jurisdictione,  
aut Approbatione simplex Sacerdos  
Pœnitentem absolvere queat?

*Sac* Assignant DD. specialiter sequen-  
tes: si videlicet Pœnitens foret consti-  
tutus in articulo mortis, attentâ ex-  
tremâ necessitate; item si Pœnitens  
non haberet alia peccata, præterquam  
venialia, tunc enim præsumi potest de  
Ecclesiæ consensu; (*nisi specialis ad se  
prohibitio*) item si Pœnitens accedat  
cum peccatis jam confessis, ad quæ i-  
terum confitenda vel tacenda est liber;  
ego autem adhæreo sustinentibus so-  
lum in extrema necessitate simplicem  
Sacerdotem non approbatum posse  
absolvere Pœnitentem, ad evitandum  
fraudes quæ possent oriri extendendo  
hanc facultatem etiam ad posteriores  
casus, quis enim certificari poterit e-  
jusmodi Confessarium audire, vel au-  
di-



divisse venialia tantum & non mortalia? vel tantum peccata jam confessaria? adverte hic etiam, quod Indulgentiarum tempore, datâ facultate eligendi sibi quemcunque Confessarium, de quoq; Bulla Jurisdictionem supposita Approbatione.

## QUÆSTIO II.

In qua

*De Scientia Confessario necessaria.*

*Vicar.* **C**ur maximè necessaria Confessario Scientia?

*Sac.* Ideò, quia ipsi competit officium Judicis, ac Medici, debet proindè scire concernentia suum officium, alioquin se exponet periculo errandi in materia gravi.

*Vicar.* Qualis autem Scientia exigitur in Confessario?

*Sac.* Saltèm Mediocris.

*Vicar.* Non eminens?

*Sac.* Cum hac Scientia paucos esset re-  
pe-